



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 10. Passionis memoria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

faxum illud, quò illi cerebrum elisum est. Christus autem verè dicere poterat: *dolor meus in conspectu meo semper*, & vigilanti, & dormienti. Multorum Patrum opinio est, quòd illa animi deliquia, tremores, tædia, & conflictus, quos in horto expertus est; non fuerint insoliti, sed frequentes, & usitati: & quidem in tanta intensione; ut semper sudore sanguineò manâset, nisi altissimò suò dominiò illum continuisset. Nihil adhuc dixi de tristitia illa, sensuque acerbissimò, quem in eo continuò excitârunt tot divinæ majestati illatæ injuriæ, & gravissimæ calamitates; quæ genus humanum ideo expectabant. Noe in arca manu propriâ fenestram clausit. Gen. 7. 16. S. Hieron. ut non spectaculi tristis aspectu Noemus magis cruciaretur. Soli Jesu omnes aditus & portæ animi relinquebantur apertæ; ut ante tempus stragem charissimorum suorum videret: nec oculum in ullam partem possêt desigere; ubi non lacrymarum, sanguinis, mortis, materiam inveniret &c. Segneri die Ven. S. Vide eundem hic fusissimè de his doloribus discurrentem.

Num. 3.

*Sinè solatiò.*

*Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Luc. 23. 46. Sic exiunere crucis, ac mortis, fatigata Christi anima in Patris tandem manibus requievit, instar illius columbæ; cum nusquam reperisset, ubi figeret pedem. Gen. 8. 9. ad Noe regressit, ramum ferens virentis olivæ; fidem videlicet Matris, quæ non aruerat. Defuit Christo D. in Passione ubi requiesceret; & omnia illa, ubi sperare poterat respirationem, & solatium, versâ sunt in instrumenta dolorum, & pœnarum. Planè *maledictus homo, qui confidit in homine.* Jer. 17. 5. quippe cum Jesus omnia spei sibi verti videret in proditiones, & cruces &c. Oliva t. 2. Strom. §. Pater in manus &c.

Num. 4.

*Passionis tempus, dies, hora locus.*

*Et emisit eum.* Gen. 3. 23. Communiter Patres tradunt, Adamum eòdem die, quò creatus est, peccâsse, & paradiso ejectionem: scilicet feriâ sextâ, imò horâ eadem, quâ Christus mortuus est, & nos paradiso restituit. Cornelius hic.

*Eadem die egressus.* Ex. 12. 41. Dies Paschæ, sive prima azymorum, quâ Hebraei egressi ex Ægypto, fuit dies Veneris: Deo ita disponente; ut significaret diem Veneris, quò Christus Phasæ nostrum immolatus est &c. Cornelius hic.

Cum Eva mandatum in paradiso transgressa est, hora erat quasi sexta. S. Chrysost. tom. 6. orat. in Samaritanam.

Sextâ horâ crucifixus fuit, ut eadem horâ restitueretur homo, quâ de paradiso est erectus. Hugo Card. in Gen. 3.

Qui cecidimus in horto paradisi, vidimus, in horto salutarem Passionem sumpsisse ini-

*Polyant h. Sacra, Tom. II.*

tium; & omnia, quæ prius corrupta, reparata esse. Theophylactus in Joan. 18.

Cum res paradisi attigimus, miratus sum certè figurarum veritatem. In paradiso casus in horto salus: deligno peccatum; & per lignum salvatio. Post meridiem Domino perambulante occultati sunt; & post meridiem à Domino lato in paradysum introducitur. S. Cyrill. Jerof. Catech. 13.

Ut in paradiso malorum initium factum; sic in horto Christi Passio incipit; per quam à malis liberati in pristinum habitum restituti sumus. S. Cyrill. Alex. l. 1. in Joan. 31.

Christus dicitur Act. 8. 32. *Agnus, & ovis.* S. Leo l. 7. de Epiph. dispositos subpersecutione inchoavit, & sub persecutione finivit: nec puero tolerantia passionis, nec passuro defuit, manufactudo puerilis. / Agnus est in tenera ætate, ovis in matura: quia patientiam, quâ in pueritia sustinuit multas persecutiones, & adversitates, eandem retinuit ultimò vitæ suæ tempore, in passione, & morte. *In laboribus æjuventute mea.* Sylveira hic.

§. X.

*Passionis memoria.*

Num. 1.

*Figuræ, & Symbola*

*Expressi in calicem &c.* Gen. 40. 11. Tunc in calicem uvæ exprimimus, quando per memoriam Passionis Christi dilectione affici-mur. Hugo Card. hic.

*Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos.* Ex. 13. 9. Dicitur hoc de Pascha, in quo Passio Domini-ca est signata. quasi dicat: cum converteris cor tuum ad agenda, hoc erit tibi pro signo in manu; si vero ad cogitanda, erit tibi pro signo ante oculos. S. Bonaventura S. de exalt. S. Cruc.

*Et ecce piscis.* Tob. 6. 2. Moraliter piscis est Christus; fel Passionis amaritudo; cor dilectionis immensitas. Fel ergo, & cordis particulam piscis sibi reponit; qui dilectionis, quâ dilexit nos, & amaritudinis, quam in Passione sustinuit, recordatur. Hugo Card. hic.

*Fasciculus myrrhæ inter ubera mea.* Cant. 1. 12. Si sapiis, imitaberis sponsa prudentiam; atque hanc myrrhæ tam charum fasciculum de principatu tui pectoris nec ad horam patieris avelli: amara illa omnia, quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assiduâ meditatione revolvens. Habe illum semper, non retro in humeris, sed antè præ oculis; ne portantes, & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat. Memento, quia accepit eum Simeon in ulnis suis, Maria gestavit in utero, fovit in gremio; sponsa sibi inter ubera colloca-vit. S. Bernardus l. 43. in Cant. Non apposuit, fuit, est, vel erit: quia Dilectus omni tempore debet esse fasciculus myrrhæ: quia, dum vivis, Passionem ejus jugiter debes meditari, & imitari. de Ponte hic Exh. 7. §. 2.

*Per fragmen mali Punici.* Cant. 4. 3. memoria Passionis accipitur. S. Thom. Aqu. hic.

P p

Coma

*Coma capitis tui sicut purpura &c.* Cant. 7. 5. Debent affectiones nostræ esse sicut purpura regis, propter memoriam Passionis Christi. S. Thom. Aqu. hic. lect. 2. Cogitationes tuæ, tinctæ in sanguine Dominicæ Passionis, sic affectæ semper fuere, quasi recenter viderent sanguinem de vulneribus profluentem. Hailgrinus Card.

*Percussioq; latere Petri excitavit eum.* Act. 12. 7. Percussio lateris commemoratio Passionis Christi est, de cujus vulnere salus nostra profluxit. Et nobis quoque pressuram catenâ retentis tale solatium reddit ipse Apostolus Petrus: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione aruamini.* V. Beda hic.

Num. 2.

*Motiva.*

*Beatus, qui intelligit &c.* Pl. 40. 1. Beatus, qui intelligit super Christum pauperem, nudum videlicet in Cruce pendentem; id est, qui attentè cogitat Passionem ejus: infinitus enim thesaurus paratus est Christi Passionem, ut par est, intelligentibus, & diligenter meditantibus. Bellarminus hic.

*Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantia labijs meis.* Pl. 140. 3. ut nihil aliud, nisi sanguinem Christi loquamur; quò mortem vicimus, quò redempti sumus. S. Ambros. ep. 82.

*Euntes in Mundum universum predicante Evangelium omni creatura.* Marci 16. 15. Quid debent prædicare? Euseb. Emis. S. de Ascens. multa quidem in Prophetis, & Apostolis, & in verbis Dominicis, referuntur, quibus hæc una determinatio sufficere potest, quale est illud: *cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* q. d. prædicare ex Evangelio potissimum meam necem; & hoc omni creaturæ: quia tantam vim habet hæc prædicatio, ut vel faxa, & quercus, emollire, maria rænare, gelu solvere, bruta mansuescere possit. Did. Nils. Dom. Quinqu. §. 1.

Asceta spiritualis amabilem vitam, & Passionem Domini Jesu, tanquam pretiosissimam margaritam in scrinio pectoris sui semper reconditam habeat. Dum corpus cibo, & potu, reficit; buccellas, quas sumit, devotâ cogitatione intingat in purissimum sanguinem illius; & hauriat potum è roseis vulneribus ejus. Vel unica humilis, atque amorosa, conversio ad dulcia vulnera Salvatoris ipsi Domino gravior est, quàm sit omnis vocum, sonorumque Musicorum harmonia, & suavitas. Meritò singulares Dei amici etiam sanguineis lacrymis deflere debent, quòd hodie in toto terrarum orbe ita eadem præcellentissima Christi vulnera in oblivionem abierint. Nullus omninò potest aliquid humiliter de Passione tegere, vel cogitare (licet modicò fortè affectu id faciat) quin exitium salutis fructum inde referat. Quem

admodum fieri inquit; ut is, qui farinam, vel opobalsamum, etiam summis digitis, contingit, non habeat ipsos digitos farinâ conspersos, aut opobalsami liquore, atque odore, perfusos. Etiam si imago Crucifixi Jesu inspicatur tantum; non erit inanis hæc aspectio. Blosius Instit. spir. c. 6.

Neque scribi, neque cogitatione comprehendendi, potest; quantum fructum homo bonæ voluntatis, & humilis, referat ex pia meditatione Passionis Dominicæ. Id. ex conclavi an. spir. c. 10. §. 7.

Memoria Passionis est præsens passionum, & affectionum inordinatarum, exterminatio, suave angustiarum refugium, amica laborum requies, verum sanctitatis ostium, dulcis animæ consolatio, indeficiens divini amoris incendium, omnium adversitatum condimentum, omnium virtutum fons. Id. speculo Monachorum.

Num. 3.

*Antidotum contra vitia.*

*Nolite me considerare, quòd susca sum: quia decoloravit me sol.* Cant. 1. 5. S. Anton. de Pad. s. D. 3. Quadr. sol eclipsim, id est, defectum patiens omnia decolorat. Sic verus sol Christus, qui cognovit occasum suum. Pl. 103. 19. eclipsim mortis in cruce patiens, omnes colores, omnes vanitates, omnes glorias fallaces, omnes honores, debet decolorare. Hæc dicit anima pœnitentis: nigra sum, fusca sum, quia decoloravit me sol. Dum enim oculò fidei Deum meum, sponsum meum, Jesum Christum in cruce pendentem, clavibus confixum, felle, & acetò potatum, coronâ spinæ coronatum, video; omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis pompa transitoria, in pallorem vertitur, & a me nihili æstimatur. Quis non horreat vestium luxum, cum videt nudum in sua cruce Jesum? quis contumeliosissimæ Domini sui Passionis, & mortis, spectator, inanem ambiat gloriam? quis non fundat lacrymas, si cogitet, Redemptorem suum totò corpore manantem sanguine: quem obletaret ridere, jocari, nugari, ludere; quando Jesum tantis pœnis afflictatum videt? Did. Nils. Dom. Quinqu. §. 1.

*Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Cant. 8. 6. S. Ambros. in Pl. 118. l. 15. infige pectori tuo, & cordi tuo, imaginem Crucifixi; infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint. Orig. in c. 6. Rom. est tanta vis Christi crucifixi; ut, si ante oculos ponatur, & mente fideliter retineatur, ita ut in ipsam mortem Christi intentis oculis inspicatur; nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit invidia; sed continuò ad ejus præsentiam totus ille peccati, & carnis, fugatur exercitus. Id. D. 1. Pasch. §. 5.

Osten-

*Ostendit eis manus, & latus.* Joan. 20. 20. Christus Discipulis tam gaudioso die cicatrices vulnerum suorum ostendit, ad coërendam omnem lætitiæ intemperantiam. Id. ib.

Nihil est, quod ita ab omnium vitiis impulsu, & contagione, cogitationem nostram purificat, & in puritate conservet; sicut jugis memoria crucis, ac Passionis Domini Jesu. S. Bernardus de Pass. D. c. 44.

Num. 4.

#### Oblivio Passionis.

*A demonio meridiano.* Ps. 90. 6. Est demonium meridianum, avertens à meridie claritatis; quæ Mundo in meridie obscurato ex morte Salvatoris insulsi. Vexatio quidem non cessat, ut homines arceantur à memoria Dominicæ mortis. Sim. Cas. l. 5. c. 24.

Inimici mei sunt quasi bestia ferocissima. Horum cor sic est vacuum à charitate mea; quod nunquam in eo intrat cogitatio Passionis meæ. Nunquam semel adhuc processit de intimo corde eorum hoc verbum: Domine redemisti nos! laus sit tibi pro amara Passione tua. Ipsorum cor plenum est vermibus vilissimis, id est, affectionibus Mundi. In ore eorum posuit diabolus sterces suum; & ideo non placent ei verba mea. l. 1. revel. 5. Brig. c. 6. verba Chr.

§. XI.

#### Passionis Meditatio.

*Obscuratus est sol.* Luc. 23. 45. Mirò modo voluit hunc Deus circumcidere oculos hominum cum tenebris densis; nè visus in objecta forinseca vagaretur; sed ut ingrederetur ad cor, ad considerationem eorum, quæ agebantur Dei Filio, & in ipso agebantur. Et diem verterunt in noctem, ut intentior fieret contemplatio arcanorum. Induxit igitur Dominus tenebras super orbem; ut nec aliquid intuerentur oculi; nec moverentur, & pedes, ut in quiete corporis, & privatione forinsece luminis sedule meditarentur hi, qui propè: similiter & qui longè Dei Filij Passionem similiter & omnem mysterij actionem. Sim. Cas. l. 13. hic.

*Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu.* Philipp. 2. 5. Non dicit, cogitate, contemplamini, aut loquimini, de Passione Domini; sed ut animò, & corde sentiatis. *Sentite in vobis*, id est, transferte in vos ipsos dolores, quos sensit Jesus Christus: nisi enim illos in vobis sentiatis, & experiamini, non potestis, quanti, & quam acerbi sint, cognoscere. Diez s. de Pass. Dom. Cupiebat plantare in cordibus Fidelium continuam Passionis Dominicæ memoriam; & ita insculpere, ut nunquam exideret. Non dixit, cogitate de ea; sed *sentite*. Debes considerare

*Polyan. b. Sacra. Tom. II.*

cum gustu Passionem Christi; & consideratio sit viva, sensualis. Cum quidpiam non sentimus, id evenit; vel quia in se est tam exiguum, ut opus sit attentione magnâ ad percipiendum; vel sensus tam obtusus, ut, licet res sit magna, egeat ad illud videndum excitatione. Cum autem Passio Domini sit res maxima, & pretiosissima earum, quæ nobis in Mundo data sunt, quâ Deus exercuit omnem suam potentiam, scientiam, & charitatem; certum est, quòd illam non percipias: quia tu insensibilior petris existis; quæ eam senserunt, & scissæ sunt, Stella de cont. an. Mundi p. 1. c. 95.

*Et intus plena sunt oculis.* Apoc. 4. 8. Ostenditur hic Christus non in gloria, ut Ezech. 1. 5. sed tanquam vulneratus, & occisus. Apoc. 5. 6. Tot hic meditanda, ut innumeri oculi requirantur. Sylveira hic.

§. XII.

#### Ex Passionis meditatione compassio, & lacryma.

*Is quasi mulier jam plurimò tempore lugens mortuum; & ingredieris ad regem &c.* 2. Reg. 14. 3. dicebat Joab Thecui. Quis est mortuus ille, quem plurimò, imò totò, vitæ tempore lugere debet anima Christiana; nisi Christus? qui passus, mortuus, & sepultus pro nobis. Jonghen Nupt. agni p. 1. Exh. 10.

*Nolite flere super me &c.* Luc. 23. 28. q. d. attendite, quòd causa fletus non est in me, sed in vobis. Hugo Card. in Gen. c. 45. Sol obscuratur, terra movetur, petra scinduntur, velum templi dividitur, sepulchra aperiuntur: solus miser homo non compatitur, pro quo solo Deus patitur. S. Bonaventura hic. Mirum, me vidisse sæpe recolui, auditâ Christi Passione multos, etiam reprobos, prorupisse in lacrymas: quas ut elicerem ab oculis audientium concionando ad populum, stultè, nescio, an peritè, per pia verba sæpe tentavi: maximè ab illo tempore, five die, quòd Ecclesia Christum per sua officia recolat crucifixum. Cumque ad propria remeasse illos aspicerem; Christi Passionibus, & lacrymis, & virtutibus, valedixisse cognovi: & de pristina conversatione nihil mali fuisse ademptum; nec flevisse facinora, propter quæ Passio fuit collata, quam fleverant. Sim. Cas. l. 13. in Luc. 23. 28.

In monte Calvaria quatuor columnæ marmoreæ perpetuò stillantes aquam: quasi æternis lacrymis Passionem Dominicam commemorantes. Nierembergus l. de mir. nat. terræ sanctæ c. 65. ex Petro à S. Dominico.



P p 2

§. XIII